

sunt, quia esse in potentia *objectiva*, nihil aliud est quam posse objici alicui *potentiæ*, vel potius actioni aut causalitati *alienius* potentiæ; non potest autem res objici *sibi* ipsi, sicut non potest fieri a se, sed ab *alio*; dicitur ergo esse in potentia *objectiva* in ordine ad alterius potentiam, et per *denominationem* ab illa dicitur res possibilis. *Relinquitur* ergo, ens in potentia ut sic, non *dicere* statum aut modum positivum entis, sed potius præter denominationem a potentia *agentis* includere negationem, scilicet, quod *nondum* actu prodierit a tali potentia; *ideo* enim in potentia esse dicitur, quia *nondum* exivit in actum, et propterea etiam cum res *creatur*, desinit esse in potentia, non quia *desinat* esse subjecta divinæ potentiæ, et *contenta* in illa, sed quia jam non est tantum *in* illa, sed etiam ab illa, et in seipsa. Hunc ergo statum excludebat illud in potentia.

Quid addat essentia in actu essentia in potentia.

5. Secundo principaliter *observandum* est circa aliud extremum, scilicet, ens *aut* essentiam in actu, frequenter ab *authoribus* dici, essentiam in actu addere *existentiam* ipsi essentia. Qui modus loquendi, *juxta* sententiam eorum qui affirmant *essentiam* existentem non distingui ex natura rei a *suo* esse, intelligendus necessario est de *additione* secundum rationem, aut *improprie dicta*. Nam, si sit sermo de essentia in actu *respectu* essentia in potentia, minus *proprie dici* videtur addere illi existentiam, quia *additio* realis non fit *proprie*, nisi enti reali, *nam* aliquid entitatis habet cui additio fit; *diximus* autem essentiam in potentia nihil habere *entitatis*; non ergo ei fit additio *proprie loquendo*, nisi fortasse secundum rationem, *quatenus* essentia in potentia *objectiva* apprehenditur per modum entis, *propriusque diceretur* essentiam, ut actu ens, distingui per *existentiam* actualem a seipsa, ut est in potentia. Unde, si sit sermo de essentia in actu, nullo *modo* dici potest, *juxta* hanc sententiam, quod *essentia* existens addat existentiam supra *essentiam* in actu, quia essentia, quæ est ens *actu*, formaliter et *intrinsicè* includit existentiam; per illam enim constituitur ens *actu*, et *distinguitur* ab ente in potentia, *juxta* hanc sententiam, ut dictum est. Quapropter *frequentius* utuntur illo modo loquendi *auctores*, qui existimant esse distingui ex natura *rei* ab essentia creaturæ, ut patet ex *superius* citatis.

inter quos *Ægid.*, Quodlib. 4, quæstione septimo, ait, *esse imprimi essentia dum* creatur et fit *existens*. Quod dictum si intelligatur de essentia in potentia prout erat, vel potius cogitabatur ante effectum Dei, vel est omnino falsum, vel *impropriissimum* ac metaphoricum; quo modo enim potest actus imprimi ei quod nihil est? actus enim non imprimitur nisi potentiæ *receptivæ*: essentia autem sub ea consideratione non est in potentia *receptiva*, sed mere *objectiva*. Igitur, ut illa locutio et similes aliquem verum sensum habere possint, *juxta prædictam* sententiam, necesse est intelligi de essentia in actu, quæ comparata ad esse, est potentia *receptiva* illius, non tamen est actualis essentia, nisi dum actu recipit actum essendi.

6. Ex hoc tamen necessario sequitur, *quavis* essentia actualis non differat a potentiæ nisi dum est, vel etiam quia est sub actu *essendi*, formaliter tamen ac *præcise* non differre immediate in actu *essendi*, sed in sua entitate *essentia*, seu in esse *essentia* actualis. Hoc (inquam) necesse est dicere, *distinguendo* ex natura rei *essentiam* actualem ab existentia, tanquam *realem* potentiam ab actu. Quia ens in potentia *objectiva*, ut ostendimus, est *simpliciter* nihil, seu non ens actu; ergo quælibet actualis entitas per id formaliter immediate ac *præcise* differt ab ente in potentia, per quod est in suo genere entitas actualis, et desinit esse *potentialis*; sed essentia actualis in esse *essentia* differt ab essentia in potentia, ut per se notum est, et non differt formaliter ac *præcise* per existentiam, sed per *actualitatem* illam quam in se habet, ab existentia *distinctam*, quia illam actu non habebat dum erat in potentia; ergo. Item, quia secundum illam entitatem *actualem*, est in potentia *receptiva* existentia, in qua non erat prout *considerata* in sola potentia *objectiva*. Præterea declaratur aperte in *humanitate* Christi, si supponatur *existere* per existentiam increatam Verbi, quia *nihilominus* ipsa, *præcise* concepta, est entitas actualis *creata*, et ideo etiam sic *præcise* concepta differt a seipsa, ut erat ab æterno in sola potentia *objectiva*, et ideo concipitur nunc, ut proxime apta ad hoc ut *uniatur* Verbo, quod ante *creationem* non habebat; illa ergo *humanitas*, ut actualis entitas *essentia*, differt a seipsa in potentia per suammet *entitatem* *essentia* creatam, et non tantum per esse *increatum* Dei.

7. Quod declaratur amplius et confirmatur:

SECTIO IV.

An essentia creaturæ constituitur in actualitate essentia per aliquid esse reale, indistinctum ab ipsa, quod nomen habeat, et rationem existentia.

nam si essentia et existentia sunt res *diversæ*, sicut essentia potest esse in potentia et in actu, ita existentia *creata* est in potentia et in actu; et sicut essentia non potest esse *actualis*, nisi *conjuncta* existentia, ita neque existentia potest esse actualis nisi *conjuncta* essentia; formaliter tamen et *intrinsicè* non differt existentia actualis a seipsa *potentiali* per essentiam, sed per suam *actualem* entitatem, quam actu non habebat, dum erat in potentia; idem ergo est de essentia, si *secundum* præcisam actualitatem essentia ad seipsam in potentia *comparetur*. Similiter, non solum essentia *præcise*, et existentia *præcise*, sed etiam totum compositum ex esse et essentia, potest a nobis *concipi*, ut in potentia, et in actu, ut per se notum est; hoc autem ens in actu non distinguitur *adæquate* a seipso in potentia; quia addit existentiam *essentia*; nam in utroque statu *includit* existentiam *proportionate*; sed differt per totam entitatem suam *adæquatam*, quia, nimirum, dum est in actu, habet *actualitatem* essentia et existentia; dum vero est in potentia, *neutram* habet.

8. Est ergo in universum verum secundum principium supra positum, scilicet, ens in actu, et ens in potentia, *distingui* formaliter immediate tanquam ens et non ens, et non tanquam addens unum ens supra aliud ens. Et consequenter etiam est verum, *essentiam*, prout *actualem* ens, distingui immediate ab *essentia* *potentiali* per suammet entitatem *actualem*, sive ad habendam illam requirit *aliam* entitatem, vel alium modum, sive non; est enim eadem ratio de essentia in actu, quæ de quolibet ente in actu. Unde, ut *formaliter* loquamur, et abstrahamus ab omni *opinionem*, non est dicendum, *essentiam* *actualem* distingui a *potentiali*, quia habet *existentiam*; nam, licet id etiam possit *verificari*, aut formaliter et proxime, aut *radicaliter* et remote, *juxta* varias opiniones, tamen *formalissime* et immediate in omni *sententia* separatur essentia actualis a *potentiali*, per suammet entitatem *actualem*, quam habet in *ratione* essentia *realis*.

Prioris quæstionis resolutio

4. Dico tertio: illud esse, quo essentia creaturæ formaliter constituitur in *actualitate* essentia, est verum esse existentia. Duæ *propositiones* præcedentes prout a nobis *propositæ* sunt, communes sunt in omni *opinionem*, sive teneamus existentiam distingui ex natura rei ab essentia, sive non; hæc au-

1. Diximus de essentia creaturæ, ut *possibili*, et ut in actu, et de distinctione earum qualis sit; superest dicendum de esse, quo essentia in actu *formalissime* constituitur.

2. Dico ergo primo: essentia *realis*, quæ in se est aliquid actu, *distinctum* a sua causa, constituitur *intrinsicè* aliquo esse reali et *actuali*. Hoc sequitur aperte ex dictis: nam omnis entitas *realis* constituitur aliquo esse reali, cum ens ab esse dicatur, et ens *reale* ab esse reali; ergo dum entitas *realis* desinit esse *potentialis*, et fit *actualis*, necesse est ut aliquo *actuali* esse reali constituitur. Rursus essentia actualis *realis* in suo genere est *verum* et *actualem* ens reale, differens jam ab ente in potentia; ergo necesse est illam *formaliter* constitui in tali *actualitate* aliquo esse reali *actuali*, ei *communicatio* per *efficientiam* aliquam.

3. Dico secundo: hæc constitutio non fit per compositionem talis esse cum tali entitate, sed per *identitatem* omnimodam secundum rem. Probatur primo ex dictis, quia essentia actualis differt a seipsa *potentiali* immediate per suam entitatem; ergo per illammet habet illud esse *actualem*, per quod constituitur, etc. Secundo declaratur in hunc modum: nam vel essentia actualis distinguitur ex natura rei ab existentia, vel non. Si non, manifestum est nullum habere esse *distinctum*, quo in tali *actualitate* constituitur. Si vero distinguitur, ergo etiam distinguitur ex natura rei esse *essentia* actualis ab esse existentia *actuali*; ergo esse *essentia* actualis non distinguitur ex natura rei ab *actuali* essentia, alioqui in *infinitum* procederetur; ergo in omni *opinionem* illud esse, quo constituitur *essentia* actualis, ut sic, non potest esse *distinctum* ex natura rei ab ipsa.

tem tertia admittitur quidem, imo necessario asseritur ab his qui non distinguunt existentiam ab actuali essentia; ab his vero qui oppositum sentiunt, frequentius negatur. Imo, si consequenter loquantur, non video qua ratione possint eam admittere. Probatur autem hæc assertio variis modis. Primo, quia hoc esse præcise sumptum satis est ad veritatem hujus locutionis de secundo adjacente, *Essentia est*; ergo illud esse est vera existentia. Consequentia est clara: nam, juxta communem significationem et conceptionem hominum, *est*, de secundo adjacente, non absolvitur a tempore, sed significat actu esse in rerum natura, quod omnes intelligimus nomine existentia, seu per esse existentia. Dices, de actuali essentia semper vere dici, *est*, non tamen formaliter ob actualitatem essentia, neque ob illud esse, quo in tali actualitate formaliter constituitur, sed quia nunquam habet hoc esse absque existentia, tametsi distincta a tali esse seu actualitate essentia. Contra hanc autem responsionem probatur antecedens rationis facta; nam per hoc esse essentia actualis formaliter ac præcise sumptum talis essentia est ens in actu, et distinguitur ab ente in potentia; ergo ex vi illius esse talis essentia est; recte enim infertur: Est ens actu; ergo est, quia esse ens actu non diminuit rationem entis, quam includit verbum *est*. Unde, etiam si demus hoc esse essentia actualis pendere ab ulteriori termino seu actu tanquam a conditione necessaria, vel ab aliquo hujusmodi, nihilominus tamen illud esse ipsum formaliter constituet ens actu, et distinguet illud ab ente in potentia; ergo ex vi illius vere et absolute dicitur res esse; sicut accidens ex vi sui esse dicitur esse ens actu, et absolute esse, quamvis illud esse requirat inhærentiam in subjecto, ita ut sine illa naturaliter esse non possit.

5. Secundo argumentor, tam simpliciter quam ad hominem: nam huic esse actualis essentia conveniunt omnia quæ tribui solent existentia, imo et illa omnia, propter quæ auctores primæ et secundæ sententia existimant, existentiam distingui ex natura rei ab essentia; ergo est verum esse existentia. Antecedens probatur, nam primo hoc esse essentia actualis non est æternum, sed temporale; nam, ut supra ostensum est, creaturæ nullum esse reale ab æterno habuerunt, sed esse essentia, prout distinguitur ab esse existentia, dicitur esse æternum, quod non potest esse verum nisi de illo esse potentiali;

ergo esse actuale sicut temporale est, ita etiam est vera existentia. Deinde, hoc esse convenit creaturæ contingenter seu non necessario, quandoquidem et priusquam fieret, illud non habuit, et potest, posteaquam illud habet, illo privari; sed istæ sunt conditiones existentia, propter quas maxime censetur distingui ab essentia; nam essentia dicitur non convenire rei contingenter, sed necessario et inseparabiliter; ergo hoc esse actualis essentia habet conditiones omnes existentia. Dices: si hæc ratio est efficax, non solum concludit quod hoc esse sit existentia, sed etiam quod sit distinctum ab essentia. Respondetur, in opinione aliorum ita concludi; tamen, juxta nostram sententiam, potius concludi, non recte probari illis rationibus existentiam distingui ex natura rei ab essentia, de quo plura inferius. Unde ulterius huic esse actualis essentia convenit, ut conferatur creaturæ per efficientiam creatoris; sed per efficientiam proxime confertur esse existentia; in hoc ergo etiam convenit hoc esse cum existentia. Denique nulla potest excogitari conditio necessaria ad esse existentia, quæ non conveniat huic esse. Nisi forte aliquis, petendo principium, dicat, unam ex conditionibus requisitis ad existentiam, esse ut distingatur ex natura rei ab actuali essentia, quod sane absurde dicitur; nunc enim inquirimus conditiones quibus cognoscere possimus quid existentia sit, et cur sit ab essentia distinguenda. Esset ergo voluntaria petitio principii, inter conditiones necessarias ad esse existentia ponere hujusmodi distinctionem. Eo vel maxime quod distinctio, cum sit negatio vel relatio quædam, non est conditio per se requisita ad esse rei, sed est quid resultans ex tali esse rei. Non est ergo distinctio ponenda inter conditiones necessarias ad esse rei, sive essentia, sive existentia; in reliquis autem nulla fingi potest conditio, quæ constituat esse reale in esse existentia, quæ non repariatur in esse actualis essentia. Est ergo hoc verum esse existentia.

6. Tertio declaratur hoc ipsum ex propria ratione existentia; nam esse existentia nihil aliud est quam illud esse, quo formaliter et immediate entitas aliqua constituitur extra causas suas, et desinit esse nihil, ac incipit esse aliquid; sed hujusmodi est hoc esse, quo formaliter et immediate constituitur res in actualitate essentia; ergo est verum esse existentia. Major videtur esse per se nota ex

ipsius termini significatione, et communi omnium conceptione. Item ex immediata et formali oppositione supra declarata inter ens actu, et ens in potentia; nam ens actu, idem est quod existens, alioquin dari posset medium inter ens possibile et ens existens, quod tamen inintelligibile est; ergo illud esse, quo formaliter constituitur ens actu in se et extra causas, est etiam esse quo constituitur existens; ergo illud esse est verum esse existentia. Item quia hujusmodi esse, si, per possibile vel impossibile, intelligatur manere absque quolibet alio esse distincto, est sufficiens ad distinguendum entitatem actualem a possibili, et consequenter ad constituendam illam in novo ac temporali statu, quem ab æterno non habet, et ad terminandam actionem agentis, seu ad fundandam habitudinem et dependentiam realem a causa efficiente; ergo hujusmodi esse, quo res formaliter constituitur actu extra causas, est existentia. Minor autem propositio, scilicet, quod illud esse, quo intrinsece et immediate essentia possibilis intelligitur fieri essentia actualis, constituat essentiam extra causas, seu extra nihil, fere est per se nota ex terminis, quia per illud esse est aliquid in actu. Est etiam demonstrata ex principiis positis, quia ostensum est, per hoc esse formaliter constitui essentiam extra possibilitatem quam ab æterno habebat nostro modo concipiendi: nam educi, ut sic dicam, a possibilitate, et extra causas constitui, idem sunt.

7. Occurritur objectioni. — Nec refert, si quis dicat, hoc esse actualis essentia pendere ab alio esse distincto, quod ab aliis appellatur actualis existentia, tum quia, licet admittamus hanc dependentiam, illa esse non potest in genere causæ vel termini formalis intrinsece constituentis essentiam in ratione essentia actualis; nos autem locuti sumus de esse sic formaliter et intrinsece constituyente actualitatem essentia, et de illo ostendimus habere veram rationem existentia. Assumptum probatum est a nobis, quia ostendimus, illud esse, quo essentia in actualitate essentia constituitur, non posse esse ex natura rei distinctum ab ipsa; si ergo illud aliud esse, quod ab aliis vocatur existentia, est distinctum ex natura rei ab actualitate essentia, non potest illam formaliter constituere in tali actualitate; si ergo aliqua est dependentia actualis essentia a tali existentia, non erit ut ab intrinseco constitutivo for-

mali, sed ut ab alia causa vel conditione necessaria. Præterea, quia, si hæc ratio attente ponderetur, probat, nullam dari existentiam ita distinctam ab esse actualis essentia; et si fortasse datur aliqua conditio, vel terminus, aut modus necessarius, ut talis essentia actualis existat, illam non esse nec vocari posse existentiam, sed subsistentiam, vel inhærentiam, nisi tota hæc controversia ad quæstionem de nomine revocetur. Quia vero magna ex parte hinc pendet intelligentia totius hujus quæstionis, directe et ex professo declarandum hoc est et probandum in sequenti sectione.

SECTIO V.

Utrum præter esse reale actualis essentia sit aliud esse necessarium, quo res formaliter et actualiter existat.

Declaratur munus existentia.

4. Certum est apud omnes, existentiam esse id quo formaliter et intrinsece res est actu existens; quanquam enim existentia non sit proprie et in rigore causa formalis, sicut neque subsistentia aut personalitas, est tamen intrinsecum et formale constitutum sui constituti, sicut personalitas est intrinsecum et formale constitutum personæ; sive hoc sit per compositionem, sive absque illa; nam constitutio latius patet quam compositio, ut Theologi latius tradunt, 1 part., q. 40, seu in 1, dist. 26 et 33; hoc autem constitutum per existentiam, ut uno verbo significetur, quod omnes admittant, nihil aliud est quam existens ut sic, quanquam sub hac voce æque obscurum maneat, quid illud sit, nisi amplius conceptus seu ratio existentis ut sic declaratur. Quidquid vero illud sit, certum tamen est existens ut sic per solam existentiam formaliter constitui, et in hoc genere quasi formalis causæ ab illa sola pendere; hoc tamen non excludit quin aliis modis, vel in aliis generibus causarum pendeat res existens ab aliis rebus in sua actuali existentia, quod est attente considerandum, quia aliqui Thomistæ videntur hoc aut ignorasse, aut dissimulasse, ut in argumentis primæ opinionis tactum est, et in eorum solutionibus videbimus. Est autem id evidens in eorum sententia; nam si existentia et essentia sunt ex natura rei distinctæ, et ex eis componitur ens existens tanquam ex actu et potentia, necesse est, ut illud compositum in ratione entis exi-

stentis intrinsece pendeat, tam ab entitate essentiae, quam ab entitate existentiae, licet ab hac formaliter, ab illa vero materialiter; imo necesse est ipsam entitatem existentiae pendere ab entitate essentiae in genere causae materialis, sicut e contrario essentia pendet ab existentia in genere formalis.

2. Rursus in omni opinione necesse est ut existentia rei creatae pendeat ab existentia alicujus rei, saltem in genere causae efficientis. Quod si res creata existens imperfecta sit, vel incompleta in genere entis, necesse est ut tota entitas actualis, et ipsa etiam existentia talis rei, pendeat ab alio, vel tanquam a subjecto, vel tanquam a sustentante, vel tanquam ab unione cum alio, vel tanquam ab ultimo termino completae entitatis. Probatur inductione, quae fieri potest variis exemplis, juxta varias sententias; sic enim humanitas Christi et existentia creata ejus pendet a Verbo, ut a sustentante, et ab Incarnatione, tanquam ab unione qua conjungitur Verbo; sic etiam humanitas Petri, et existentia ejus pendet a subsistentia tanquam ab ultimo termino complente substantiam; sicut etiam linea, quantumvis concipiatur actu existens, dici potest pendere a puncto tanquam a termino suo. Unum vero exemplum est fere extra omnem controversiam; nam forma accidentalis secum affert suam existentiam, quae existentia naturaliter pendet a subjecto, ut a causa materiali, et ab unione seu inherencia in subjecto, ut a modo quo mediante sustentatur a subjecto; et (quod certius est) forma substantialis materialis secum affert suam existentiam, quae naturaliter pendet a materia, ut a causa materiali. Ratio vero generalis est, quia omne ens, quod in suo ordine imperfectum et incompletum est, potest pendere ab alio ente, vel ut a causa intrinseca, vel ut ab extrinseca, prout naturae ejus fuerit accommodata; hoc enim nullam repugnantiam involvit, et alioqui consentaneum est imperfectioni talis entis. Quod si in entitate essentiae actualis hoc facile admittitur, et sine controversia, non est cur in entitate existentiae negetur, cum illa etiam imperfecta et imbecillis ad se sustentandum esse possit, ut evidenter constat in omni existentia accidentis.

Punctus controversiae.

3. Ex his ergo recte concluditur, essentiam actualem ut sic, etiamsi in suo intrinseco et formali esse includat esse existentiae, ut pro-

batum est, nihilominus posse naturaliter indigere aliquo ulteriori termino, vel modo, aut unione, ut in rerum natura existat, vel simpliciter, vel connaturali modo, ut evidenter declarat et confirmat discursus factus, et exempla ac rationes in eo adductae. Hinc ergo nata est quaestio proposita; dicunt enim aliqui, etiamsi essentia per suum esse reale essentiae sit verum actuale ens, nihilominus indigere alia ulteriori actualitate distincta, ut esse possit, et hanc vocant existentiam.

4. Dicendum tamen est, essentiam realem et actualem posse quidem naturaliter postulare modum subsistendi, vel inherendi, ut sit; hunc tamen modum seu terminum ulteriorem non esse existentiam ipsius essentiae, nec posse praeter hos modos aut terminos excogitari alium, qui et sit distinctus ex natura rei ab essentia actuali, et sit vera existentia ejus. Probatur facile discurrendo per singulas essentias et modos earum. Et incipiendo a clarioribus, forma accidentalis praeter entitatem actualem sibi essentialem, includit actualem unionem seu inherenciam ad subjectum, quam esse ex natura rei distinctam ab entitate formae accidentalis satis declaravit mysterium Eucharistiae, in quo separata est et destructa actualis inherencia, conservata entitate accidentis; sicut etiam idem mysterium ostendit eandem actualem inherenciam esse extra essentiam accidentis. Haec autem inherencia non est esse existentiae accidentis; quis enim hoc unquam dixit? Nam in sacramento altaris non creatur novum esse existentiae, quo accidentia consecrata existant, ut omnes fere Theologi docent; retinent ergo accidentia consecrata existentiam quam habebant in pane, et non retinent inherenciam; non est ergo inherencia existentia accidentis, sed modus quidam illius, quo mediante, illa existentia naturaliter pendet et conservatur a subjecto, quam dependentiam Deus supplet in accidente separato. Idemque est, proportione servata, in forma materiali respectu materiae, et in materia respectu formae, ut latius dicemus inferius.

5. *Existentia substantialis distinctum quid a subsistentia.* — Substantialis autem natura, quae per se existit, praeter actualem entitatem essentiae, includit ultimum quemdam terminum, quo positive subsistit, ut infra suo loco dicemus contra Scotum et alios. Quem terminum nunc etiam supponimus ex natura rei esse distinctum ab entitate actuali totius na-

turae, seu essentiae substantialis. Hunc item terminum negamus esse existentiam, sed subsistentiam naturae seu suppositi. Et quamvis fortasse, qui ita loquuntur, ut illum terminum, seu subsistentiam, existentiam substantialem vocent, possint tantum in modo loquendi a nobis discrepare, tamen etiam potest esse realis differentia, et si sit tantum in voce, non recte loquuntur. Etenim si subsistentiam ipsam existentiam vocent, quia revera putant, essentiam substantialem primo ac formaliter constitui in esse entis in actu et distingui ab ente possibili per subsistentiam ipsam ut sic, est plane falsum, ut etiam Thomistae frequentius sentiunt, et infra tractando de subsistentia videbimus. Et ex hactenus dictis convinci potest. Ostendimus enim, illud esse, quo primo ac formaliter constituitur essentia intra latitudinem entis in actu et distinguitur ab essentia possibili, non posse esse aliquid ex natura rei distinctum ab entitate actuali essentiae; non potest ergo hic esse effectus formalis subsistentiae, cum supponamus, hanc ex natura rei esse distinctam. Praeterea, sicut hic modus est distinctus ab entitate essentiae, ita potest entitas essentiae conservari destructo tali modo, et tunc retinet totum illud esse intrinsecum, quo constituitur in tali actualitate seu entitate actuali; ergo non constituitur formaliter et intrinsece in ea actualitate per subsistentiam. Antecedens supponitur ex mysterio Incarnationis et ex his quae dicemus infra de natura et subsistentia. Consequentia vero probatur primo, quia idem numero constitutum non potest conservari destructo intrinseco et formali constitutivo, sicut non potest manere eadem persona, ablata personalitate, etiamsi maneat eadem natura. Secundo a simili: nam recte probamus formale constitutum accidentis in ratione entis in actu non esse inherenciam, quia, ablata inherencia, conservatur idem numero accidens in ratione entis in actu; idem ergo est in praesenti. Igitur in hoc sensu non potest vere dici modus subsistendi, esse ipsum esse existentiae naturae substantialis.

6. Alio vero sensu posset quis ita loqui, nimirum, quia entitas actualis essentiae substantialis non potest in rerum natura existere sine tali modo, et quod propter hanc causam illud esse, quo essentia intrinsece constituitur ens actu, non vocetur esse existentiae, sed essentiae tantum, quia per se non sufficit ad constituendam rem existentem, sufficit ta-

mep ad constituendam essentiam rei; nus autem seu modus subsistentiae vo esse existentiae, quia complet entitatem et illo posito, sufficit ut res existat. Et hic quidem dicendi modus solum est diversus a nostra sententia in usu terminorum; nos enim hoc praecipue contendimus, et in hoc totam rem sitam esse existimamus, quod in entibus creatis, praeter actualem entitatem essentiae, et modum existendi per se vel in alio, non fingatur aliud esse existentiae distinctum ex natura rei ab entitate actuali essentiae, et a modo per se existendi vel inherendi alteri, quod jam nobis concedit illa sententia illo modo explicata. Displicet tamen valde ille modus loquendi. Primo, propter abusum terminorum, quia per esse existentiae nemo intelligit omne id, sine quo actualis rei identitas conservari non potest, sed quo formaliter hujusmodi entitas in ratione entis in actu, et extra suas causas constituitur; ergo, licet actualis entitas essentiae substantialis non possit esse sine subsistentia, si per illam formaliter non habet quod sit extra causas, non potest dici quod per illam existat, et consequenter neque illa potest existentia appellari.

7. Secundo, quia alias subjectum accidentis dicendum esset existentia accidentis, quia sine illo non potest naturaliter existere. Imo materia posset appellari existentia formae pendens ab ipsa in esse, et forma materiae. Et amplius, si consequenter ipsi loquantur, debent essentiam actualem appellare existentiam suae subsistentiae, quia subsistentia non potest existere sine natura, quam terminat, et a qua pendet. Si ergo haec omnia neganda sunt, solum quia illa dependentia in existendo non est ut a formali constitutivo entitatis actualis, eadem ratione negandum est, subsistentiam esse existentiam illius naturae, quam terminat.

8. Tertio, quia saltem supernaturatiter conservatur natura existens, ablata propria subsistentia, ut patet in mysterio Incarnationis. Dices, conservari quidem sine propria, non tamen aliqua alia existentia, quae vicem propriae suppleat, quae poterit etiam appellari existentia naturae. Sed contra hoc est, tum quod adhuc est sub controversia, an possit creata natura conservari sine ulla subsistentia, tam propria quam aliena, et Cajetanus cum aliis tenet, posse, et est probabile, ut postea videbimus; tum etiam quia, quamvis, ablata propria subsistentia, alia substituat

loco illius, semper natura manet eadem numero in ratione talis entitatis existentis, quod esse non posset si formaliter existeret per subsistentiam, quia variato formali constitutivo necesse est constitutum variari.

9. Quarto, quia subsistentia ita se habet ad naturam substantialem, sicut inhærentia ad naturam accidentalem; nam per se, et in alio, cum proportione sumpta, opponuntur inter se, et versantur suo modo circa idem divisum; unde sicut actualis inhærentia est modus existentis naturæ, ita actualis perseitas, quæ est propria subsistentia, est modus naturæ existentis; non potest ergo recte appellari existentia ejus. Nec video qua ratione moveantur, qui sic loquuntur, nisi ut verbis saltem defendant, existentiam distingui ex natura rei ab essentia, cum in re solum de subsistentia ita sentiant.

Assertio præcipue intenta persuadetur.

10. Superest ut probemus alteram partem a nobis præcipue intentam, scilicet, præter actualem entitatem essentia, et illud esse quo in ea constituitur, quodque ab ipsa in re non distinguitur, et præter modum subsistentia vel inhærentia, non dari aliud esse existentia ex natura rei distinctum ab eis. Sufficiens autem probatio hujusmodi veritatis esse videtur, quia omnis alia entitas, vel modus realis, est superfluum et sine probatione confictus; cur ergo est multiplicandus? Antecedens declaratur, quia rationes, quæ afferuntur ad probandam hujusmodi existentiam distinctam, vel probant solum de subsistentia in natura substantiali, et inhærentia in accidentali, vel sunt omnino inefficaces, quia supponunt nescio quod esse essentia æternum creaturæ, quod revera nullum est. Quapropter illæ rationes æque probarent, esse essentia actuale et temporaneum distingui ex natura rei ab essentia creaturæ, quod nullus asserere potest, qui res, quæ his verbis significantur, mediocriter concipiat.

11. Et hinc satis etiam constat, hujusmodi entitatem vel modum esse superfluum. Primo quidem, quia si esset aliqua ejus necessitas vel utilitas, posset aliqua probabili ratione declarari ac suaderi. Deinde, quis, quæso, est formalis effectus talis entitatis seu modi, propter quem a natura seu a Deo tribuatur? Non enim esse potest, ut essentia fiat ens actuale, et extra causas suas constituatur; hoc enim formaliter habet per esse essentia actuale, ut sæpe probavimus; neque etiam ut

entitas essentia actu sit per se, vel in alio; nam hos modos essendi habet per subsistentiam vel inhærentiam; quid ergo confert alia existentia? Dices: confert existere, seu constituit formaliter essentiam non in ratione essentia, sed in ratione existentis. Sed hæc est petitio principii, aut idem per idem declarare; hoc enim est quod inquirimus, quid addit existere ultra esse actuale extra causas, communicatum per effectum causæ efficientis, quo vere constituitur essentia in ratione entis in actu, cum supponamus non esse sermonem de subsistentia vel inhærentia; et similiter inquirimus, quid addat existens supra ens actu extra causas, supposito quod non addit esse subsistens, vel inhærens. Quia ergo nulla ratio realis distincta a prædictis concipi potest, concludimus, ens actu, et existens, eandem rem et rationem formalem significare: ideoque fingi non posse esse existentia, distinctum ab illo esse, quo unaquæque res in actualitate suæ essentia constituitur.

12. Atque hinc ulterius inferimus, hujusmodi entitatem existentia dicto modo distinctam, non solum superfluum esse, sed plane impossibilem. Primo quidem, quia hæc entitas non ponitur ut a Deo extrinsecus addita ad majorem aliquam rerum perfectionem, sed ut connaturalis et debita ac omnino necessaria, ut res sit extra causas suas. Si ergo necessaria non est, non est etiam hoc modo possibilis, quia natura non amat, neque postulat quod superfluum est. Secundo et a priori, quia ubi effectus formalis nullus est, vel non est possibilis, neque forma est possibilis; hic autem nullus est effectus formalis quem talis entitas dare possit. Quod patet facile ex dictis, quia neque ens actu, neque esse tali modo, scilicet, in se vel in alio, provenire potest formaliter a tali entitate; præter hos autem effectus formales non potest alius excogitari conveniens enti creato, ut ens creatum et existens est.

13. Et in hoc cernitur aperta differentia inter subsistentiam et existentiam illam, quæ fingitur distincta a essentia actuali; nam de subsistentia facile declarari potest effectus formalis, propter quem est necessaria; non enim ponitur, ut constituat naturam substantialem in ratione entis in actu, sed ut entitatem ejus ita compleat et terminet, et reddat illam ita in se et per se existentem, et quasi sibi sufficientem ad sustentandum intrinsece suum esse, ut reddatur incapax alie-

næ subsistentia, vel unionis ad illam, ut per eam in suo esse sustentetur; sicut, e contrario, in forma accidentali facile etiam declaratur effectus quasi formalis, quem inhærentia habet in essentia formæ accidentalis, qui non est illam constituere in ratione entis in actu, sed alicui unire a quo sustentetur. At vero de existentia declarari non potest quem effectum formalem habeat circa essentiam, nisi constituere illam in ratione entis in actu, qui tamen effectus non potest formaliter et intrinsece esse ab existentia, quæ sit entitas distincta ab ipso ente, seu essentia quæ in actu constituitur, ut ostensum est, et iterum inferius probabitur; et ideo, licet facile intelligatur modus ex natura rei distinctus ab essentia actuali, qui sit subsistentia vel inhærentia, non tamen qui sit existentia, et tam a subsistentia vel inhærentia, quam ab actuali essentia distinguatur.

Satisfit objectioni contra dicta.

14. Sed objicit quidam, nam videtur totus hic discursus supponere, totam actualitatem essentia provenire formaliter ab existentia, quod tamen falsum est, quia intra latitudinem essentia inferior gradus est actualitas respectu superioris; et forma est actualitas respectu materia, non per existentiam, sed per entitatem essentia, quamvis existentia est conditio sine qua non, ut actus illam. Et declaratur amplius, nam aliud est hominem esse, aliud est hominem rationalem esse, vel animal esse. Primum habet ab existentia, secundum ab entitate essentia; et in utroque est sua actualitas proportionata.

15. Ad objectionem respondeo, esse æquivalence in voce actualitatis seu actus; potest enim sumi vel ut opponitur potentia objectiva, vel ut respicit potentiam receptivam; nos loquimur de actualitate in priori sensu, in quo verissimum est, omnem actualitatem entis intrinsece ac formaliter provenire ab esse existentia, quia ens actu formaliter idem est quod existens. Objectio autem procedit in posteriori sensu; forma enim est actualitas materia, ut actus in illa receptus; differentia autem solum secundum rationem est actus generis, quia concipitur ac si in illo reciperetur; inter gradus enim superiorem et inferiorem non potest esse habitudo realis actus et potentia, cum in re actualiter non distinguantur. Actualitas autem prior seu entitativa ita comparatur ad actum posteriorem seu formalem, ut interdum reipsa distinguan-

tur, interdum sola ratione; est enim actualitas illa transcendens, et participatur non solum ab actu formali, sed etiam a potentia receptiva, cujus entitativa actualitas realiter distinguitur ab actualitate formæ; in ipsa autem forma, esse actum materia, saltem aptitudine, et esse tale ens actu, sola ratione distinguuntur, quia uno conceptu explicatur propria habitudo ad potentiam receptivam, quæ non explicatur per alium. Atque ita non solum verum est, ens actu, condistinctum enti in potentia, constitui formaliter et intrinsece per esse existentia, sed etiam est verum omnem formalem actualitatem, vel potius actualitatem, ut sic dicam, sicut provenit ab aliqua essentia actuali partiali, ita provenire ab aliqua existentia; nam forma non actualitatem materia, nisi ut ipsa est talis actualis entitas, quod habet per suum esse existentia. Ad confirmationem respondetur, quod secundum rem idem est hominem esse, et hominem esse hominem, si in utraque propositione esse dicat actum, et non solam aptitudinem, aut veritatem propositionis. Et similiter reipsa idem est hominem esse hominem, et esse rationalem, vel animal, etc., quia hæc omnia in re idem sunt. Quapropter ab eadem actualitate et ab eadem re hæc omnia prædicata sumuntur, sive illa res vocetur essentia actualis, sive esse actuale ejus, solumque per rationis præcisiones et compositiones hæc omnia distinguuntur. Non est ergo in una re nisi unum esse quo constituitur ens actu, et illud ipsum est esse existentia.

SECTIO VI.

Quæ distinctio possit inter essentiam et existentiam creatam intervenire aut intelligi.

Excluditur distinctio realis inter actualem essentiam et existentiam.

1. Si ea, quæ diximus, satis a nobis probata sunt, non est difficile ex eis colligere quid sit in proposita quæstione, et de opinionibus sectione prima relatis sentiendum. Dicendum est enim primo, essentiam creatam in actu extra causas constitutam non distingui realiter ab existentia, ita ut sint duæ res seu entitates distinctæ. In hac conclusione suppono significationem terminorum, et distinctionem jam declaratam de essentia in potentia vel in actu. Suppono etiam non esse sermonem de subsistentia vel inhærentia, sed de proprio esse existentia. Probari igitur po-

test conclusio sic exposita ex Aristotele, qui ubique ait ens adjunctum rebus nihil eis addere; nam idem est ens homo, quod homo; hoc autem, cum eadem proportionem, verum est de re in potentia et in actu; ens ergo actu, quod est proprie ens, idemque quod existens, nihil addit rei seu essentiae actuali, ex sententia Aristotelis, qui ita loquitur, 3 Metaph., c. 2, libr. 5, cap. 7, libr. 10, cap. 4. Quem imitatur Averroes, eisdem locis, reprehendens Avicennam.

2. Sed praecipue demonstratur ratione, quia talis entitas, addita actuali essentiae, nec potest illi formaliter conferre primam (ut ita dicam) actualitatem seu primam rationem entis in actu, qua separatur et distinguitur ab ente in potentia; neque etiam potest esse necessaria sub aliqua ratione causae, proprie, vel reductive, ut essentia habeat suam entitatem actualem essentiae; ergo nulla ratione fingi potest talis entitas distincta. Consequentia est evidens a sufficienti partium enumeratione, quia neque hactenus excogitatum est, nec excogitari certe potest aliud munus talis entitatis. Primum autem membrum partitionis positae, et admittitur ab omnibus auctoribus, etiam ab illis qui existentiam ab essentia realiter distinguunt; et est plane evidens ex ipsa fere terminorum declaratione, jam satis tradita in suppositionibus positis; repugnat enim entitatem constitui in esse entitatis per aliquid a se condistinctum.

3. Quod amplius in hunc modum demonstratur: nam omnis forma, realiter distincta a potentia, quam actuat, componit cum illa unum compositum. Unde talis actus potest dici causa formalis, vel respectu compositi, vel respectu potentiae seu alterius quasi partis componentis, si absque tali actu vel forma esse non possit. Respectu igitur compositi optime et verissime dicitur talis actus formaliter et intrinsece constituere illud, non tamen potest omnino condistingui ab illo, sed necessario includitur in illo, et distinguitur ut pars a toto, quia talis actus non potest esse tota entitas compositi, quod necessario includit aliam partem, seu aliud componentem. At vero si comparatur actus ad aliam rem vel potentiam cujus est actus, non potest intrinsece et formaliter constituere propriam entitatem ejus, quia illa entitas non est composita, sed simplex; alioqui non esset altera pars componentis, sed totum compositum, quod in reali compositione ex rebus distinctis prorsus repugnat. Item alioqui con-

staret illa entitas, seu pars quae incipit actum, ex illo actu et aliqua alia re, de qua rursus inquiram, an constituatur intrinsece et formaliter per illum actum; nam si hoc affirmetur, procedemus ulterius in infinitum; si vero negetur, concluditur intentum, nimirum, potentiam proprie componentem cum actu realiter distincto, non posse intrinsece et formaliter constitui per ipsum actum cum quo componit. Atque ita cum fit ultima resolutio ad prima seu simplicissima componentia, necesse est ut illa entitas quae ad alteram comparatur, ut potentia, non constituatur intrinsece et formaliter in sua entitate per alteram, quae est actus, licet fortasse illam postulet ut sit, sicut materia postulat formam. Sic ergo philosophandum esset de entitate essentiae, et entitate existentiae, si essent distinctae; componerent enim unum, verbi gratia, hoc existens, respectu cujus existentia se haberet ut actus intrinsecus et formalis; tamen respectu entitatis essentiae nullo modo posset intrinsece illam constituere aut componere, quia una ab alia condistingueretur, ut entitas simplex ab entitate simplici. Nec dici potest quod entitas essentiae sic concepta et distincta non sit actualis, quia alias non componeret realiter, quia entitas in potentia objectiva non facit realem compositionem cum actu. Sic ergo aperte constat, entitatem existentiae distinctam ab entitate essentiae non posse requiri ut intrinsece constituat ipsam entitatem essentiae in sua propria actualitate.

4. Alterum autem membrum, scilicet, talem entitatem distinctam non requiri in aliquo alio genere causae, ut ipsa entitas essentiae possit esse in rerum natura, satis (ut existimo) probatum est in superioribus, cum ostendimus, praeter esse essentiae actualis, et modum subsistentiae vel inhaerentiae, nullam esse necessitatem alterius existentiae. Vel certe ostendatur nobis aut declaretur quae sit ista causalitas, et ad quod genus revocetur. Dicunt aliqui illam entitatem esse conditionem necessariam, sine qua entitas essentiae in rerum natura permanere non potest. Sed imprimis haec responsio, quae facile dicitur, non solum in hac, sed etiam in aliis multis quaestionibus, non est admittenda, nisi et sufficiens ratio necessitatis reddatur, et modus vel causalitas talis conditionis declaretur, alioqui posset aliquis plures conditiones hujusmodi ad effectum aliquem gratis postulare, eo quod non possit major

ratio de una quam de pluribus tribui. Cum ergo in superioribus ostensum sit, nullam esse utilitatem, nedum necessitatem, ob quam haec entitas multiplicetur, gratis dicitur esse conditionem necessariam; et, qua facilitate dicitur, rejici debet. Addo ulterius ex superioribus dictis, quod, licet illa entitas esset conditio necessaria, non posset propterea appellari proprium esse existentiae ipsius essentiae actualis, quia non constitueret illam in ratione entis in actu. Alioqui omnis alia conditio, aut res, sine qua non posset in rerum natura permanere ipsa essentia, dicenda esset existentia ejus, quia non est major ratio de hac quam de caeteris. Ad haec, esto illa entitas sit conditio necessaria ex natura rei, cum non sit causa formalis actualis entitatis essentiae, cur non poterit saltem de potentia absoluta permanere et conservari in rerum natura entitas essentiae in actualitate sua, ita ut sit vere ens actu, absque illa entitate vel conditione necessaria, quam vocant existentiam? seclusa enim causalitate formali intrinseca, nulla implicatio afferri potest. Quod si hoc potest facere Deus, ergo tunc actualis entitas essentiae habet proprium et intrinsecum esse actuale, quo est in rerum natura, et extra causas suas. Quid autem aliud est existere, quam ita esse? Illa ergo alia entitas non est simpliciter necessaria ad existendum; ergo revera non est existentia.

5. Dicitur tandem potest, duplicem esse respectum causae formalis: unus est ad compositum, quod constituit; et hoc modo esse verum, entitatem existentiae non esse causam formalem entitatis actualis essentiae; et haec potest dici causa formalis intrinseca, quia intrinsece componit suum effectum. Habet autem alium respectum causa formalis ad subiectum quod informat, quia, si informando vel actuando illud, confert ad esse ejus, recte dici potest formalis causa illius, et ad hunc modum in rebus naturalibus forma non tantum est causa compositi, sed etiam materiae. Atque eodem modo dici potest entitas existentiae esse causa formalis entitatis essentiae, quia constituendo cum illa ens existens, actuat illam, et ita formaliter facit illam permanere in esse. Et reddi potest ratio proportionalis, quia, sicut materia est pura potentia in ordine ad actum formalem, ita essentia creaturae est pura potentia in ordine ad existendum, et ideo sicut materia requirit formam ut sit, quamvis non componat illam, sed cum illa, ita essentia requirit entitatem existentiae

ut sit, quamvis non componat illam, sed cum illa.

6. Atque hic modus respondendi et declarandi hanc sententiam est minus improbabilis, quam caeteri. Sed revera habet easdem difficultates, et nullam sufficientem rationem reddere potest, cur sit necessarius ille actus formalis, si necessarius non est ut intrinsece constituat ens actu et extra causas. Itaque facillime admittimus illam distinctionem causae formalis in bono sensu, juxta superioribus dicta de causis. Verissimum etiam est existentiam non posse esse causam formalem intrinsece constituentem actualem entitatem essentiae. Hinc tamen concludimus, nullum posse assignari constitutum propter quod talis entitas necessaria sit; et consequenter inferimus non posse esse necessariam ut actum formalem, quasi advenientem essentiae et componentem cum illa quidpiam aliud. Prior illatio probata est in superioribus; nam constitutum intrinsece per existentiam non posset esse nisi existens; existens autem et ens actu, id est, non in potentia, idem omnino sunt. Si ergo illa entitas non est necessaria ad constituendum intrinsece ens actu, non est etiam necessaria ad constituendum intrinsece ens existens; nullum ergo proximum constitutum assignari potest, propter quod necessaria sit. Atque hinc etiam patet posterior illatio; nam forma per se primo est propter compositum, et hinc consequenter esse potest necessaria propter alteram partem componentem, si illa talis sit ut extra compositum esse non possit. Si ergo nullum est compositum propter quod formalis actus distinctus necessarius sit, non potest esse necessarius propter alteram partem componentem.

7. Praeterea hinc constat falsum assumi in proportionem assumptam in superiori ratione; nam, licet essentia creaturae priusquam fiat, dici possit esse in pura potentia objectiva ex parte sui, tamen essentia illa ut jam est actualis entitas per effectum suae causae, non est in se et ex parte sua pure potentia in ordine ad esse, sed intrinsece, et omnino identice habet aliquod esse reale et actuale, quod esse est vera existentia, cum constituat formaliter et intrinsece entitatem extra suam causam, quae omnia in superioribus probata sunt; ergo sine ullo fundamento dicitur, illam entitatem pendere ab alio actu formali et distincto ut sit. Maxime quia rationes, quibus probari solet necessitas existentiae distinctae, omnes fundantur in hoc quod esse actu non